

## LIBER PRIMVS

motū & naturalia consequētibz & de motu. Secunda de simplicibus corporibus. scilicet cœlo & elementis quatuor: prout locali mouentur motu. huic parti annexa ea uia qua caduca inquātū talia cōsiderant. Tertia est de mixtis inanimatis. Quarta de animalibus: Quinta de plantis. Harū quinque partium ordinem in principio tertiæ partis & merito expressit Aristoteles. Nam ibidem tanq̄ arbiter in medio suæ doctrinæ sedens: mediasq; res inter simplicia & a prime composita pertractans: utraq; extrema equaliter attingere potuit: & ea medio copulare. Collegit igitur ibidē ea quæ in duabus prioribus partibus expedita fuerant: tractanda uero in duabus residuis partibus proposuit. Interim uero quæ in hac tertia & media tractari debuerant: patefecit. Dicimus igitur q̄ prima pars de iis quinque ea est quæ de principiis primis & elementis naturæ & de omnibus cōibus naturalem motum consequentibus similiter & de motu: in eo qui est de physica audicione primo agit: principia enim & maxime omnium prima præcognosci debent nisi. n. ea in quibus multa tractanda in unum cōueniunt: seorsum primo pertractētur: idem inutiliter sæpe reiterare continget. hunc ordinem docet in huius libri principio dicens (necessarium & de natura temptandū prius determinare quæ circa principia sunt) & parū post (Vnde ex uniuersalibus in singularia oportet prouenire) Hæc eadem prima pars tanq̄ primo pertractata: in principio metheororū prius colligitur: cum dicitur (De primis igitur causis naturæ & de omnium motu naturali &c.) ubi Alexander aphrodisæus ait (incipiens metheorologica primo nobis ad memoriam reducit dicta iam de iis quæ in naturali negotio simul autem & ordinem nobis scribit omnis naturalis theoriæ: & primo quidem recordat de inscripto naturali audi: uillo negotio existente primo totius naturalis theoriæ: in illo enim dixit de primis principiis & causis naturæ & de omnibus comunibus conuenientibus ad naturalem motum: quorum primo hic recordat) Secunda pars ea est quæ est de simplicibus: annexa ei uia illa qua caduca inquātū generabilia & corruptibilia sunt considerantur. Nam post principia principiatorum sequi debent simpliciora. hæc autem sunt Cœlum primo. & elementa quatuor. prout simplici scilicet locali mouentur motu. cœlum circulariter: elemento: recte sursum deorsumue: cui simplicium contemplationi ea etiam annectitur portio qua elementorum caducorum iam in postremis libri de cœlo & mundo inceptorum cæterorumq; generatio & corruptio docetur. est enim semita hæc quasi principium quoddam generabilium & corruptibilium in quantum talia sunt ut inquit Aueroys in principio metheororum. Is testis est Aristoteles in præfato loco mox post collectionem libri de physica audicione dicetis. (Adhuc at & de secundū superiorem lationem perornatis astris. & elementis corporalibus quot & quæ) Et hoc quantum ad ipsa simplicia motu locali mota (& de ea quæ inuicem permutatione & de generatione & corruptione omnium dictum est prius) hoc quantum ad librum de generatione & corruptione. hoc enim totum de secunda dictum est parte quæ a prima hic ab Aristotele distinguitur parte per illud aduerbium (ad huc) & eius partes per copulam (&) pluries reiteratam in unum uniuertur. Tertia pars ea est quæ de mixtis inanimatis agit. animalibus enim & plantis simpliciora sunt. Quare prius doceri phas est. nisi enim compositiora simpliciorum in cognitione tanq̄ exemplar sint: simpliciora prius doceri debent animalium autem cognitio plantarum est exemplar: ut inferius demonstrabitur. cæterum inanimata animatis collata non sic se habent. licet circo prius doceri debent cum simpliciora sint. Hæc inanimata omnia sub una scilicet tertia locatur parte. quodammodo sub uno libro qui metheorologica dicitur. cum ab uno materiali principio omnia ortum habeant scilicet exaltatione. intera qdē: ab humida: flumina & metallata liquabilia. a sicca: lapides & ustilia quæq;. In sublimi uero: ab humida: nix grādo pluuia ros & pruina. a sicca uero: Cometa & talia plurima. Cæterum perfecte mixta uti lapides & metalla posteriora sunt & compositiora. & ideo posterius tractari debēt. de quibus particulariter ab Aristotele nihil inuenimus. licet in genere de iis in fine tertiū libri metheororū tractatum sit. sed a Theofrasto eius fideli discipulo ut Alexander in fine tertiū metheororum inquit: particulariter pertractatū est. cuius Theofrastrū librum uidimus & habemus nundum latinis interpretatum qui de lapidibus inscribitur qui sic incipit (eorum quæ in terra consistunt: quædam sunt aquæ: quædam terræ) ubi paulo infra dicit. De metallis igitur in aliis speculatum est: de iis uero nunc dicamus) sed quicquid sit omnia hæc in una continent parte quæ metheorologia a ueteribus: eis consensiente et in hoc nomine Aristotele nuncupata est. siue igitur unus sit liber in quo tota metheorologia pertractetur ut fecit Aristoteles: licet in genere tantum de lapidibus & metallis in tertio libro siue plures: sicuti Theofrastrus & Arabes plures & latini. qui præter comunia particularia etiam metallata: & lapides in aliis libris a libro metheororum determinarunt: nihil intersit. potissime cum omnia ex uno comuni procedant material principio scilicet exaltatione ratione cuius in eadem tractari debent parte. & in comuni tractatione in uno pertractari debent libro uti fecit Aristoteles. Huic ordini huius tertiæ partis testis est Aristo. q̄ post primæ ac secundæ partis collectionē: tanq̄ in medio totius negotii sedens arbiter: ac in mediis existens rebus: subdit (Reliqua autem pars huius methodi est adhuc consideranda quam omnes priores metheorologiam uocabant) de qua Alexander ibidem (Quarto autem ordinat præsens negotiū quod & metheorologicū inscribit quoniam ut ait omnes q̄ ante ipsum uocabant ipsum metheorologiam) Dixit at (Quarto) non quod sit quarta pars sed liber quartus. Et hæc de ordine trium partium. comuniori dicta sufficiant. De quarta uero & quinta cum plurimam in se habeant difficultatem sub alio capite discutiendum est.

Ordo uniuersalis quartæ & quintæ partis:

Caput II.

Vgnare ad inuicem aialia & plantæ de loco uidentur. Plantæ enim simpliciores sunt quare præcedere postulant. Nos simpliciora cum dictis Concedimus prius tractari deberi. nisi forte cōpositiora modus & exemplar sint quo simpliciora a nobis cognoscantur qualia aialia sunt. nā per cognita de aialibus quali per exemplar quoddam plantarum noticia a nobis aquiritur eo quippe modo ac ratione quo sanguineorū magis compositorum cognitione: uti exemplari quoddam: ad imperfectorum animalium & simpliciorum cognitio

## LIBER PRIMVS

nem manudicimur. Sic etiam partes hominis nobis magis notæ in cognitiōem partium cæterorum: quæ simpliciorum: deducere debent. Iis testimonium est id quod loco præfato ab Aristotele scriptum fuit (Cum pertrāsuerimus de his temptabimus si quid possumus secundum inductum modum assignare de animalibus & plantis) in fine etiam libri de causa longitudinis ac breuitatis uitæ scribitur (Sed de hoc quidem secundum se in his quæ de plantis determinabitur) Ecce quæ post animalia posuit plantas. De hoc tamen plura in posterioribus scribentur. Nunc autem satis sit de eo quæ animalia præsciri debent: ut per ea tanquam per clariora & per exemplar in plantarum cognitionem manuduci debeamus. Quis igitur comunior ordo sit dictarum quinque partium unius ad alteram: ex iis patet. Nunc autem ad quinque particulares ordines earum quæ in dictis quinque partibus continentur particularum: descendamus.

Sectio tertia & est ordo particularis trium primarum partium Caput primum de ordine particulari primæ partis & est liber de physica auditione.

**P**rima pars agit de primis principiis scilicet materia forma, priuatione, de natura, de causis quatuor, & causarum modis, de casu, ac fortuna, & communi motu, præter hæc de communibus agit, motum & naturalia fere omnia consequentibus passionibus scilicet continuo, infinito loco uacuo secundum aliquos ac tempore & aliis plurimis. Habet unicum librum hæc prima pars: in octo diuisum uolumina, licet nonnulli libros priores separatos fecerint, eos librum de principiis uocantes. Residuum uero de motu uocant. Inscrubitur de physica auscultatione uel physico auditu. Cum enim in eo de communibus in natura agatur merito nomen suscipit totius doctrinæ hoc autem est, physica, principia enim & maxime prima pluribus communia uirtute maxima sunt. Quid autem sibi uelit quod de auscultatione cum dixerimus: sic habeto. Exteriores enim ab Aristotele dicebantur historiarum ac rethoricarum constitutiones: tanquam amatoribus sapientiæ alienæ: Cæterum reliquas eius conscriptiones tanquam ab hominibus nobilitate sua auscultari ac mente coli debentes: auscultatorias omnes nuncupabant peripathetici: Eæ enim cum hominis finem attingere faciant: auscultatione digne sunt, tantoque attentius causas auscultare cogimur: quanto breuioribus obscurissimisque tanquam oraculis: ea si Aristoteles dedita opera: non inuidia motus: sed ut rudiora ingenia huius tam præclari conuiuii indigna procul arceret: uiros autem dignos diligenti studio exercebat: nobis edidit. Hic igitur liber tanto magis cæteris auscultatorius dicitur: quo ad cæterorum de natura cognitionem propositus est. Ordo autem huius partis seu libri est quoniam in primis prima tractat principia pluribus communia, post hoc de his quæ omnia fere consequuntur naturalia de quo in principio ait (Necessarium & de natura temptandum prius determinare quæ circa principia sunt) & post pauca inquit (Vnde ex uniuersalibus in singularia oportet prouenire) De his autem communibus passionibus quæ consequuntur ea ait in principio tertii (Quoniam autem natura est principium motus &c.) & parum post (oportet non ignorare quid sit motus) Dehinc subdit (Cum autem determinauimus de motu temptandum est eodem agredi modo & de his quæ consequenter sunt) consequentia appellans Continuum, infinitum locum, uacuum secundum aliquos. Et tempus Et hæc satis sint de ordine particulari primæ partis quæ in uno solo cadit libro de physica auditione qui incipit (Quoniam quidem cognoscere & scire contingit &c.)

Ordo particularis secundæ partis, scilicet libri de cælo & mundo & libri de generatione & corruptione. Caput. II.  
**P**ars secunda duos habet libros scilicet librum de cælo & mundo: & librum de generatione & corruptione. liber de cælo & mundo præcedit alterum, & in ipso: e a pars quæ est de cælo: præcedit, dehinc ea sequitur quæ est de elementis quattuor corporalibus: prout hæc omnia motu mouentur locali, motus enim qui ad locum cum sit omnium primus ac simplicissimus eum præcedit qui est ad formam, imo eius est causa. Quare librum de cælo & mundo præcedere ad eum phas est qui est de generatione & corruptione, qui incipit. (De generatione autem & corruptione). Inter simplicia uero: æterna & ea quæ aliorum causæ sunt: præsciri & prædeterminari debent, hac de causâ prius de cælo & mundo pertractat in primo ac secundo libro, post hæc in tertio & quarto de non æternis simplicibus & a cælo causatis scilicet elementis quattuor. Et hoc sensit simplicius licet Themistii interpres Themistio non recte dedicauerit hæc: cum dixit (De simplicibus pertractat scientia quæ de Cælo est ab Aristotele instituta, nam prioribus duobus uoluminibus de quinta substantia eius quod proprie Cælum est: disputatur, Superque per empirias etiam illius ostenditur, in reliquis, duobus libris de quattuor elementis agit, quæ sub lunæ orbe sunt: quatenus simplicia sunt: & quatenus motus simplices habent). De ordine etiam libri de generatione & corruptione ad librum de Cælo ait (Sed cum de gignendis caducisque iam esset dicendum: primum duo uolumina de generatione & corruptione conscripsit, quibus naturæ rerum earum quæ gignuntur quatenus sunt gignendæ: & ea quæ communiter corrumuntur quatenus huiusmodi sunt plenissime continentur: & iudicantur). Adde his ea quæ in principio tertii de Cælo & mundo ab Aristotele dicuntur (De primo quidem igitur elementorum dictum est quale quid: secundum naturam & quoniam incorruptibile & ingenitum) & hoc quantum ad primum & secundum librum (Reliquum aut de duobus dicere) scilicet graui & leui (Simul autem accidit cum diximus de his & de generatione & corruptione considerare) Hic enim liber huic secundæ parti annectandus est non quæ generatio aut corruptio sit corpus unum de simplicibus, Sed quoniam est tanquam uia qua natura a diuinis discedens corporibus ad corruptibilia gradatim procedit. Et est ab Aristotele additus quo corruptibilia in quantum talia: iam a uobis sciri incipiunt. Et, n. generatio & corruptio & liber hic sunt quasi principium ad generabilia & corruptibilia ut inquit Aueroys prius methæ. Hic autem ordo non ab re ab ari. positus est in principio tertii li. de cælo, nam si in quarto de cælo & mundo aut principio de generatione & corruptione huc posuisset ordinem: corruptibilia cum incorruptilibus ex una parte colligendo totum de cælo & mundo idem colligisset. Accedunt ad hunc ordinem de ari. in principio methæ, ubi secundam colligens partem: prius